

vative opponi. Declaratur, quia gratia sufficiens dat vires sufficientes voluntati, ut cum Augustino loquamur; gratia vero efficax dat vires efficacissimas: vires autem efficaces etiam sunt sufficientes; ergo includit efficax totum id quod est quasi positivum in sufficiente, et addit infallibilem connexionem cum operatione, quam non includit sufficiens: ergo, ob rationem priorem, recte dicuntur distinguuntur ut includens et inclusum: posteriori autem ratione, gratia sufficiens quamdam privationem includit, propter quam potest dici inefficax, ac subinde privative opponi efficaci, et hinc obiter intelliguntur duo: unum est, divisionem hanc esse sufficientem, quia per membra immediate opposita traditur. Aliud est, propter hanc divisionem non multiplicari gratias actuales, vel habituales supra enumeratas, sed easdem explicari cum diversis habitudinibus ad actualem operationem, ut declaratum est. Et hæc sufficere videntur ad simplicem quamdam divisionis explicationem; nam profundior illius comprehensio ex singulorum membrorum pleniori intelligentia pendet: superest ergo ut ea quæ specialiter ad gratiam sufficientem pertinent, in reliqua parte hujus libri prosequamur.

CAPUT III.

UTRUM AUXILIUM SUFFICIENS SIT VERUM AUXILIUM GRATIÆ INTERNÆ, DISTINCTUM A LEGE, REVELATIONE ET DOCTRINA.

1. *Calvini error negantis gratiæ interioris auxilium.*—*Pelagii error solas externas gratias postulantis.*—In hoc capite præcipue notandus et refellendus est error Calvinii, dicentis nullum esse verum gratiæ interioris auxilium, præter auxilium efficax, quale ab ipso ponitur, inducens necessitatem, et tollens libertatem; ideoque omnia loca Scripturæ, in quibus reprehenduntur homines qui gratiæ Dei resistunt, interpretabatur de gratia externæ doctrinæ per Scripturam, vel per prædicationem verbi Dei; ita refert quidam in id Act. 7: *Vos Spiritui Sancto resististis*, dicens contaminasse Calvinum locum illum, asserens eos resistere Spiritui Sancto, qui eum in Prophetis loquentem contumaciter rejiciunt, quia non de internis revelationibus et inspirationibus, sed de externo ministerio ejusdem verba intelligenda esse accurate monebat. Unde plane convincitur solam exteriorum doctrinam satis esse putasse ad auxilium sufficiens, cum illi resis-

tere censeatur esse culpabile et reprehensione dignum, in quo errore videtur Calvinus Pelagius consentire, quoad sufficientem gratiam, licet, in efficaci, in alio extremo illi contrario sit, ut postea videbimus. Pelagius enim per solam gratiam prædicationis, doctrinæ, promissionis et exempli dicebat sufficienter juvari possibilitatem naturæ, ut homo possit bene operari et sanctificari, si velit. Ultra hanc vero gratiam non postulabat alias gratias ad volendum et operandum cum effectu; nam nisus libertatis sufficere putabat; unde fundamentum ejus erat, quia, proposito objecto sufficienti, voluntas potest circa illud operari si velit; ergo illa propositio objecti sufficiens, per revelationem, vel alia externa media sufficientia, est etiam sufficiens gratiæ auxilium ut homo convertatur, si velit. Calvinus autem, cum gratiam efficacem ad bonum efficiendum cum voluntate requirat, non video quo fundamento dicere potuerit externam doctrinam esse sufficiens auxilium cui resistere peccatum sit; unde potius credidisse videtur non esse de ratione peccati actualis ut vitari possit, quia putavit non posse liberum arbitrium internæ motioni Spiritus Sancti resistere; inde intulit, eum qui resistit, a Spiritu Sancto interius non moveri, sed tantum exterius vocari, et nihilominus peccare.

2. *Idem nomine gratiæ intelligit legem ut doctrinam.*—*Videtur favere sanctus Augustinus.*—Suntque apud Augustinum in lib. 1 de Grat. Christi nonnulla loca, in quibus, nisi attente legatur, videtur impugnando Pelagium, in hanc sententiam inclinare; cum enim Pelagius diceret Deum per gratiam suam juvare nostrum posse, id est, per legem et doctrinam, quam Pelagius nomine gratiæ intelligebat, Augustinus urget illum, ut illam gratiam fateatur quæ dat velle et facere, quæ est gratia efficax, et ita inter has nullam aliam sufficientem agnoscere videtur, unde capit. 10 sic inquit: *Nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur et speratur, nec solum revelatur sapientia, verum etiam amatur, nec suadet solum omne quod bonum est, verum etiam et persuadetur.* In quibus verbis aperte loquitur de gratia efficaci, qua vocati veniunt, et qui audiunt credunt et suasi persuadentur, unde id confirmat verbis Christi Joan. 6: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; et: Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo; quæ testimonia frequentissime idem*

Augustinus de gratia efficaci interpretatur, et de illa concludit in eodem capite: *Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus.* Sentit ergo Augustinus omnem gratiam suadentem et non persuadentem, vocantem et non trahentem, non transcendere legis et doctrinæ rationem, et nihilominus esse gratiam sufficientem, quia ultra illam non agnoscit nisi efficacem, et inde concluditur gratiam sufficientem tantum esse externam, qualem Pelagius fatebatur.

3. Unde capit. 13, ut distinguat propriam gratiam internam ab ea quam ponebat Pelagius, sic inquit: *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere: non solum per eos qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsos, qui incrementum suum ministrant occultis, etc.* Hæc autem gratia profecto efficax est, ideoque de illa subjungit: *Sic docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt, simul donans et quid agant scire, et quod sciunt agere.* Videtur autem Augustinus de interna gratia et efficaci tanquam de æquipollentibus, et quæ mutuo convertantur, loqui; quod magis insinuat inferius, dicens: *Qui autem novit quid est quod fieri debeat et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem, non secundum spiritum, sed secundum litteram.* Ergo, secundum Augustinum, omnis qui non operatur ex gratia, non recipit internæ gratiæ spiritum, et tamen negari non potest quin multi, non cooperantes gratiæ, sufficiens gratiæ auxilium recipiant; ergo gratia sufficiens non includit interiorum gratiam.

4. Ac denique c. 14, de hoc docendi modo quo per gratiam docet Deus, ait non recte dici aliquem audivisse et didicisse sibi esse veniendum, et non facere quod didicit; sic enim ait: *Sicut Veritas loquitur, omnis qui didicit venit, quisquis non venit, profecto non didicit.* Unde nos possumus, e contrario, colligere, omnem illum qui, licet audierit et aliquo modo didicerit esse veniendum, non venit, non audivisse eo modo quo gratia interna docet, sed eo tantum modo quo exterior doctrina suadet, et tamen multi sic non venientes habent auxilium sufficiens: ergo auxilium sufficiens non includit interiorum gratiam, seu doctrinam. Unde ibidem concludit: *Ac per hoc quando Deus docet non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam*

volendo appetat, agendoque perficiat. Ergo, teste Augustino, gratia qua Deus interius docet semper est efficax; ergo, e converso, gratia sufficiens non docet interius, sed tantum per legem et doctrinam: sunt pleraque alia loca in libris Augustini non parum difficilia quæ hanc partem confirmare videntur; illa tamen commodius in cap. 6 tractabo.

5. *Contraria sententia et vera asserit gratiam sufficientem includere internam gratiam præter externam.*—*Duobus modis Deus potest dare gratiam sufficientem.*—His vero non obstantibus, dicendum est gratiam sufficientem necessario includere interiorum gratiam præter externam, et in ea principaliter consistere. Ut hæc assertio probetur, explicatur prius, supponendo duobus modis posse Deum movere, seu auxilium sufficiens præbere homini in ordine ad aliquem actum pietatis, scilicet, vel aliquo medio externo signo seu objecto, vel mere interius immutando potentias, juxta Augustini doctrinam, lib. 1 ad Simplic., q. 2, et lib. de Bono persev., cap. 14; quando ergo Deus hoc posteriori modo præbet auxilium, clarè videtur tale auxilium internum esse. Verumtamen ille modus rarus est, et extra ordinariam legem significatam a Paulo ad Romanos 10 dicente: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, ubi de verbo externo loquitur, ut alia verba declarant: *Quomodo audient sine prædicante, quomodo autem prædicabunt, nisi militantur*, etc. Auxilium ergo externæ prædicationis et suasionis, necessarium quidem est ex lege ordinaria, et ad gratiam Dei spectat, ut lib. 3, c. 1, dixi; et ita sub auxilio sufficiente integro et completo regulariter includitur, quia, ut dixi, illa est ordinaria via trahendi homines ad salutem; sed quæ per se non est satis, ideo dicimus inde non posse in illa consistere auxilium sufficiens simpliciter et collective, licet in suo genere doctrinæ, vel propositionis objecti, sufficientiam suam habere possit.

6. *Quid per motionem externam intelligatur.*—In quo ulterius attente considerandum est, sub hoc auxilio externo non intelligi tantum motionem illam externam quæ ad sensus pervenit, sed etiam illam quæ in mente fit per conceptus vel affectus quos illa externa objecta et eorum phantasmata, possunt in mente naturaliter causare: non est enim dubium quin, sonante voce prædicatoris, in intellectu fiat naturaliter species earum rerum quæ audiuntur, et per illas species naturali etiam virtute possint formari aliquot conceptus rerum et ra-

tionum quæ proponuntur, atque etiam excitationi aliqui motus desiderii, timoris, etc.; isti enim motus pertinent ad gratiam, quia ex beneficio gratuito et supernaturali providentiæ ducunt originem, et ita, secundum modum et habitudinem, gratiæ quædam sunt, etiamsi alias in substantia sua motus naturales sint.

7. *Præter motionem externam requiritur interna ad auxilium sufficiens ex sancto Augustino.* — Dicimus vero tales actus sub gratia externa comprehendi, quia cum illa sunt naturaliter connexi, et moraliter tanquam unum censeantur, et de hac tota gratia externa intelligimus non satis esse ad sufficiens auxilium, sed necessariam esse specialem illuminationem internam et inspirationem, ut aperte docet Augustinus lib. de Grat. Christi, cap. 13; et ideo gratiam propriam vocationis occultam vocat Augustinus in libr. 1 ad Simplic., q. 2; et Psalm. 87, ait: *Nimis occulta Dei gratia est, qua hominum mentes quodammodo reviviscunt, ut possint a quibuslibet ejus ministris præcepta veritatis audire*; et infra: *Quantumlibet existant excellentes verbi prædicatores et veritatis, etiam per miracula sua fortes, tanquam magni medici agunt cum hominibus, si mortui sint, et tua gratia non revixerunt, numquid mortuis facies mirabilia, aut medici exsuscitant, et hi quos excitabunt, constebuntur tibi?* Et sæpe in hoc sensu expendit verba Pauli 1 Corinth. 3: *Neque qui plantat est aliquid, etc.*, ut videre licet in locis citatis, et infra etiam tractandis. In hoc ergo sensu, internam gratiam ultra externam ad auxilium sufficiens necessariam esse dicimus. Quocirca, etiam in priori et extraordinario modo vocandi hominem ad fidem mere interius, in mente oportet distinguere revelationem, quatenus solum pertinet ad sufficientem objecti propositionem, ab auxilio, quo adjuvatur potentia ad credendum, vel amandum; nam sola revelatio pertinet ad doctrinam, et de se non satis est ut potentia elevetur et juvetur ad operandum sicut oportet; sed necessaria est peculiaris quædam motio Spiritus Sancti, quæ potentias ipsas dirigat, vel alliciat, et hanc necessitatem per internam gratiam in conclusione intelligimus.

8. *Probatur assertio.* — *Ex ipsa ratione, et nomine auxilii sufficientis.* — Sic igitur declarata conclusio probatur ex ipsa ratione, et nomine auxilii sufficientis et effectibus ejus. Nam de ratione hujus auxilii est, ut det homini potestatem operandi actus pietatis, ita ut ad illam potestatem nihil illi desit, ut ipsum nomen sufficientis auxilii præ se fert;

inde fit ut homini habenti tale auxilium sufficiens, imputetur non operari per illud; quare simpliciter est potens libera et integra potestate ad sic operandum. Sed homo, habens auxilia externa, non est potens per se ad operandam salutem sine auxilio interno; ergo auxilium mere externum sine interno non potest esse, nec dici sufficiens. Consequentia cum majori de se patent. Minor autem in toto lib. 3 ostensa est contra Pelagium, eamque præcipue intendit Augustinus in dicto lib. de Grat. Christi, et aliis contra Pelagium. Unde confirmatur, quia si alicui daretur auxilium externæ prædicationis verbi Dei, aut exempli sanctæ vitæ Christi, aut promissionum, aut comminationum, et interius nullum daretur gratiæ auxilium, non posset ei imputari si non converteretur ad fidem vel poenitentiam, quia revera non posset, quia talis homo non habet auxilium simpliciter et proxime sufficiens ad suam conversionem, seu ad fidem, vel poenitentiam agendam. Unde si quis dicat, fieri posse ut ei non detur actu auxilium internum, quia ipse ponit impedimentum, Deum autem paratum esse illi dare tale auxilium, si ipse obicem non ponat, et ita habere sufficiens auxilium, respondemus, juxta supra dicta, tale auxilium non esse proxime sufficiens, de quo nunc loquimur; quatenus autem potest dici auxilium remote sufficiens, etiam remote includere illud auxilium. Nam, ut illud auxilium sit remote sufficiens, necessarium est ut homo, per auxilium quod actu recipit, aliquid proxime facere possit, utique se disponere, vel non ponere impedimentum interiori auxilio; neutrum autem horum potest homo facere sine aliquo interno auxilio, ut supra ostensum est, et ideo etiam hoc modo tale auxilium internum aliquod adjuvatorium includit, et respectu alicujus effectus est proxime sufficiens, licet respectu alterius actus, ad quem novum internum auxilium necessarium est, sit remote sufficiens, quatenus etiam remote includit necessarium auxilium; atque ita ad omnem modum sufficientis auxilii requiritur auxilium internum, servata proportione.

9. *Probatur assertio, quia alioqui Spiritui Sancto restitisse dici non possemus.* — Secundo principaliter probatur assertio, quia qui in Scriptura reprehenduntur eo quod vocationi Dei resistunt, non solum exterius, sed etiam interius vocantur et attrahuntur, quantum ex parte Dei, et hoc censetur necessarium est resistantia possit eis vitio attribui; ergo auxi-

lium sufficiens includit internum auxilium, et hoc est ad illius sufficientiam necessarium. Antecedens probatur ex testimoniis allegatis Isai. 5: *Quid amplius facere debui, et non feci?* Si enim internum Spiritum gratiæ cum externis instructionibus non dedisset, profecto facilis fuisset responsio: nam magnum aliquid facere debuisset, quod non fecerat, ut supra ponderavimus. Item cum Christus reprehendit Israelitas, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ in Judæa factæ fuerant, poenitentiam egissent, Matth. 11, vel intelligit facturos fuisse poenitentiam sine interno auxilio gratiæ, per proprias vires, cum solis externis signis, et hoc dici non potest, ut constat; vel intelligit illos fuisse cooperaturos gratiæ internæ, quæ simul cum externis signis daretur, et sic necesse est ut supponat eandem internam gratiam datam fuisse Judæis, et ideo sufficienter esse vocatos per illa externa signa; alias non juste illos comparatione aliorum reprehenderet et damnaret; ergo illud sufficiens auxilium includebat etiam gratiam internam. Præterea hoc satis significavit Stephanus in verbis citatis Actor. 7. Præmittit enim: *Dura cervice et incircumcisis cordibus*, quia nimirum resistebant divinis illustrationibus et internis inspirationibus, quibus cor moveri et blande attrahi solet; unde subjungit: *Vos semper Spiritui Sancto restitistis*; qui enim solis verbis externis resistit, poterit dici resistere homini, vel rationibus humanis, non autem Spiritui Sancto, nisi etiam Spiritus interius operetur; sicut qui credit homini prædicanti, si supernaturali fide credit, ideo magis credit Spiritui Sancto quam homini, quia a Spiritu Sancto interius principaliter docetur; ita ergo, e contrario, ut quis dicatur Spiritui Sancto resistere, oportet ut ab Spiritu Sancto interius moveatur.

10. *Evertitur fundamentum Calvini.* — *Ex Concilio Tridentino, et Concilio Senon.* — *Confirmatur ex sancto Augustino doctrina Concilii.* — *Item ex Prospero.* — Præterea fundamentum Calvini omnino falsum est, et Catholice doctrinæ contrarium, quia non solum potest voluntas humana, pro sua libertate, exteriori vocationi et humanis rationibus et suasionibus, sed etiam internæ motioni et suasioni ac inspirationi Spiritus Sancti resistere. Ita docuit Concilium Trident., sess. 6, cap. 6, dicens: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, nec homo ipse nihil omnino agit, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest, etc.* Idem supponit

in cap. 13, dicens: *Deus, nisi ipsi (utique justii) illius gratiæ defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet; et can. 4 clarius dicit, hominis liberum arbitrium a Deo motum et excitatum posse dissentire, si velit.* In quibus verbis aperte loquitur Concilium de libero arbitrio interius moto per Spiritus Sancti illuminationem et inspirationem: hanc enim vocat ibidem excitantem gratiam et vocationem, a qua salutis nostræ initium sumitur, ut in superiori libro expendimus. Item loquitur de potestate resistendi, quæ sæpe a peccatoribus et obduratis hominibus exercetur, ut apertissime etiam docuit Concil. Senon., in decret. fid., cap. 13, ubi, cum prius dixisset libertatem arbitrii eo extendi, *ut voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, et interiori quodam et occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, sese convertat in Deum*, subdit inferius: *Nec tale sit hujusmodi trahentis auxilium cui resisti non possit*, quod virtute probat ab effectu, quia sæpe peccatores illi resistunt, et ita exponit locum Actor. 7, et verba Pauli 1 Thessal. 5: *Spiritum nolite extinguere*, id est, divinas inspirationes. Confirmat hoc egregie Augustinus lib. de Grat. et lib. arb., cap. 2. dum ait, neminem debere causari Deum in corde, ac si interius illum non vocaret: et cap. 5, expendens Pauli exhortationem: *Rogamus vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, illam de vera et integra gratia intelligit, et quia non tollit potestatem resistendi, necessariam dicit monitionem Pauli; idemque habet in aliis locis quæ paulo post indicabo. Apertissime etiam id docet Prosper, lib. 3 de Vocat. gent., cap. 26, ubi prius ait: *Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principaliter præeminet suadendo periculis, incitando miraculis*, quæ pertinent ad gratiam externam, cui conjungit internam addendo: *Dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, et fidei affectionibus imbuendo*; et de hac gratia subjungit: *Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur, et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitia, quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divinæ, et voluntatis humanæ.* Ratio autem est, quam eadem Concilia et Patres indicant, nimirum, divinam gratiam non tollere libertatem arbitrii, et ideo illi resisti posse, et sæpe resisti. Potest ergo gratia esse interna, et nihilominus esse tantum sufficiens, si illi resistatur; et e converso, ut sit sufficiens, et resistantia possit esse cul-

pabilis, necesse est ut non solum externa sit, sed etiam interna, sine qua homo converti aut pie operari non posset.

11. *Respondetur ad testimonia sancti Augustini.* — Pelagius, præter gratiam exterius excitantem, soli libertati, sine alia ope Dei, consensum voluntatis et operationem tribuebat. — Patet ex sancto Augustino. — Superest ut ad testimonia Augustini respondeamus: non desunt autem qui ex illis locis colligant Pelagium non negasse veram gratiam excitantem interius mentem per divinam inspirationem, et illustrationem, sed dixisse illam gratiam communem esse tam his qui resistunt quam his qui consentiunt, et nullam majorem gratiam in his quam in illis agnovisse, et ideo Augustinum ab illo exigere, ut efficacem gratiam internam et operantem ipsum velle confiteretur, non quia sufficiens non etiam sit interna, sed quia, præter illam, alia major necessaria est ad operandum, quam Pelagius non admittebat. Sed imprimis etiamsi hoc verum esset, intelligendum esset de gratia cooperante, non de alia præveniente, ut infra ostendemus. Pelagius enim, præter illam qualemcumque gratiam mentem excitantem et illuminantem quam admittebat, consensum voluntatis, et operationem piam soli libertati sine alia Dei ope tribuebat, in quo graviter erravit; et ideo, licet de gratia excitante non male sensisset, potuisset ab Augustino urgeri ut cooperantem agnosceret. Deinde veritas est errasse Pelagium, etiam in excitante gratia, quia non ponebat illam per internam Spiritus Sancti inspirationem et operationem, sed solum quatenus per eos qui exterius plantant et rigant excitari potest, quod aperte docet Augustinus dicto lib. de Grat. Christi, cap. 3; et cum in 4, 5, 6 et 7, errorem Pelagii late explicasset, in 8 concludit: *Hinc itaque apparet hanc eum gratiam confiteri, qua demonstrat et revelat Deus quid agere debeamus, non qua donat atque adjuvat ut agamus, cum ad hoc potius valeat legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio; et per totum fere librum idem ostendit; præsertim in cap. 47 concludit, nullam gratiam vere adjuvantem ad voluntatem vel ad actionem admisisse; idemque habet lib. de Grat. et lib. arbitr., capit. 11, et lib. de Hæres. in 80, et aliis in locis, quæ supra lib. 1 notavimus.*

12. *Ei repugnat idem sanctus Augustinus.* — Aliter ergo respondeo, Augustinum absolute contendisse cum Pelagio, ut internam gratiam inspirantem admitteret, ut constat ex illis ver-

bis cap. 13 ejusdem libri: *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum.* Hanc ergo peculiarem gratiam internam et excitantem ac prævenientem negabat Pelagius, et pro hac pugnat Augustinus contra illum, et hanc dicit non tantum juvare posse, ut de sua gratia dicebat Pelagius, sed dare ipsum posse, quia non tantum ad facilius, sed simpliciter ut possimus salutaria opera facere, necessaria est; sicque dixit Augustinus, lib. 1 Retract., cap. 22, in potestate hominis esse mutare in melius voluntatem, sed illam potestatem nullam esse, nisi a Deo detur; et adjungit statim: *Præparatur voluntas a Domino, et eo modo dat potestatem;* unde hanc gratiam internam, etiam prævenientem, excitantem, ac præparantem voluntatem, solet Augustinus vocare generali nomine auxilii gratiæ, ut libro præcedenti notatum est, et similiter ex lib. 2 de Peccator. merit., cap. 17, ubi ait Deum juvare homines per suam excitantem gratiam, licet sæpe ipsi per libertatem suam non juventur; idemque sumitur ex dicto c. 47 de Grat. Christi, et ex Fulgentio de Incarnat. et Grat., c. 17.

13. *Quo modo gratia interna efficere dicatur in nobis velle, sperare, amare, etc., secundum Augustinum.* — Denique de hac interna gratia dicit Augustinus, in locis allegatis, efficere in nobis velle, sperare, amare, etc., non quia semper hæc in nobis efficaciter operetur, neque quia existimaverit nunquam dari, nisi quando hos effectus in nobis consequitur; non enim ignoravit Augustinus sæpe hominem excitari interius divino Spiritu, ipsum vero hominem proprio spiritu interdum deficere, ut ipsemet ait in Enchirid., cap. 54. Dicit ergo gratiam illam internam operari in nobis velle, vel quia ad hunc finem datur, et de se illum semper operatur; vel e converso, quia, quoties nos talia bona facimus, in virtute et efficacia talis gratiæ illa præstamus; voluit tamen Augustinus, in locis supra citatis, specialiter constringere Pelagium ut hanc gratiam confiteretur non solum de se effectricem bonæ voluntatis, sed etiam efficientem bonam voluntatem et actionem, quoties illa in homine invenitur, ut hoc modo integram vim gratiæ, ejusque necessitatem et efficacitatem contra Pelagium explicaret, expressiusque illi contradiceret, quatenus putabat gratiam dantem et efficientem in nobis ipsum velle esse

contrariam libertati; vel etiam ita locutus est Augustinus, ut Pelagium non tantum excitantem, seu prævenientem gratiam, sed etiam cooperantem, fateri compelleret, si re ipsa, et non tantum nomine vellet esse Christianus.

14. *Qui novit quod est faciendum, et non facit, ex sancto Augustino non didicit a Deo, scilicet practice ita judicando ut consentiat.* — Quocirca, cum in ultimis verbis ait Augustinus, eum qui novit quid sit faciendum, et non facit, non didicisse a Deo secundum gratiam, sed secundum legem, in verbo *didicit* cooperantem gratiam involvit. Nam fieri potest ut aliquis interius a Spiritu Sancto doceatur quid facere debeat, et quod per veram gratiam id facere suadeatur, et nihilominus non persuadeatur, neque disceat, utique practice et prudenter ita judicando, ut consentiat; sic enim intelligendum dictum a Christo: *Omnis qui a Patre audivit et didicit, venit ad me;* et ita verissimum est omnem illum qui ita docetur a Spiritu Sancto ut veniat, secundum gratiam a Spiritu Sancto didicisse: e converso autem non potest generaliter dici, eum, qui vocatus non venit, non secundum gratiam, sed secundum doctrinam externam vocatum esse, nam multi etiam secundum gratiam internam et sufficientem vocantur qui non veniunt; et ita Augustinus dixit primum, quia opportunum erat contra Pelagium: alterum autem in illis locis non negavit, et in aliis aperte docuit, ut declaratum et allegatum est. Est vero aliud testimonium Augustini, lib. de Prædest. Sanct., cap. 8, quod videri potest dictis contrarium; sed illud in cap. 5 commodius explicabimus.

CAPUT IV.

UTRUM AUXILIUM SUFFICIENS INTERNUM IN SOLA GRATIA EXCITANTE CONSISTAT, ET CUM ILLA CONVERTATUR, SEU IDEM OMNINO SIT.

1. *Opinio Neotericorum Theologorum affirmans.* — Probatur ex Tridentino et sancto Augustino. — Confirmatur duobus argumentis. — Aliqui ex modernis Theologis existimant divisionem gratiæ in sufficientem et efficacem, eandem esse cum divisione in gratiam excitantem et adjuvantem, ac subinde gratiam sufficientem eandem esse cum excitante, adjuvantem vero eandem cum efficaci; et e converso excitantem gratiam, per se spectatam, tantum esse sufficientem; adjuvantem vero semper esse efficacem. Funda-

mentum hujus sententiæ est, quia Concilium Tridentinum sufficienter divisit gratiam excitantem et adjuvantem; ergo sub illis membris comprehendit etiam gratiam sufficientem et efficacem, alias divisio ejus non fuisset sufficiens, neque totam divisi amplitudinem exhausisset: at vero gratia adjuvans semper est efficax, quia, ut Augustinus dicit: *Nemo juvatur, nisi qui aliquid sponte conatur,* ac proinde actu operatur, quod non fit sine gratia efficaci; ergo sufficiens solum pertinere potest ad gratiam excitantem. Confirmari hoc potest, quia gratia sufficiens est cui resisti potest; sed gratia excitans est hujusmodi, ut docuit Trident., sess. 6, can. 4; imo illi soli resisti potest, nam adjuvans semper est efficax: ergo sola gratia excitans est sufficiens; e converso gratia sufficiens in sola gratia excitante continetur. Confirmatur secundo, quia is, qui resistit gratiæ sufficienter excitanti, peccat si sit in materia præcepti, vel ei saltem imputatur si sit in materia consilii; ergo ex vi illius auxilii est sufficienter potens: ergo illud auxilium est sufficiens. Denique confirmatur, quia ante primum actum liberum, nec præcedit habitus, nec alia gratia quæ det posse, nisi gratia excitans; ergo illa sola sufficienter dat posse; ergo est auxilium sufficiens.

2. *Aliorum opinio asserentium gratiam sufficientem esse tantum intellectus illuminationem.* — Imo nonnulli moderni significant solum gratiam excitantem in intellectu receptam, ipsumque intellectum sufficienter illuminantem, esse gratiam simpliciter sufficientem, quod inde probant, quia illuminatio intellectus gratia excitans est, et illi facile resisti potest; ergo ad summum esse potest gratia sufficiens. Ut autem solum sufficiat non requirit motionem voluntatis, quia si motio gratiæ ad voluntatem perveniat, jam est efficax; ergo sufficiens gratia in solo intellectu consistit. Consequentia est clara, et antecedens probatur, quia si voluntas movetur a Deo, non potest non moveri; ergo non potest illa resistere; ergo jam gratia est efficax. Aliter (et fortasse apparentius) id suaderi potest, quia excitatio intellectus est etiam excitatio voluntatis; intellectus quidem formaliter, voluntatis autem objective; ergo in ratione gratiæ excitantis illa sufficit respectu utriusque potentiæ; nam si voluntas postea juvetur per adjuvantem gratiam, poterit operari sine alia excitatione; ergo illa sola gratia excitans in intellectu existens est simpliciter gratia sufficiens; nam